



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Admonenda, & inculcanda tempore Quadragesimæ. cap. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

ingerat multas auctoritates, quas populus non intelligit; nō Hæreticorum opiniones, non doctrinas Scholasticas subtiliter tractet & vocet ad trutinam. Quoniam etiam tam longo curriculo conciones quotidie habentur breuior sit, satietati occurrat, & occupatis consulat. Illud etiam curandum est, vt conciones stato tempore, & hora certa habeantur eaque eligatur, quæ vniuerso populo sit accommodata. Si ad mensam alienā inuitetur modeste remittat, neque alios ipse aduocet ad suam, contentus sit moderato cibo. Nam verbi Dei studium & deuotio, ac plenus venter haud facile concordant. Et illud quoque vulgare verbum locum hic habet. Pinguis Minerva, non gignit sensum tenuem; adde tu multo verò minus, piam religiosamq; dictionem. Quotidie sacrificium Missæ celebret, In congressibus, & colloquijs ita segerat, vt non in his tempus frustra terat, sed ad vtilitatem spiritualem eorum qui ad se accedunt conuertat. Vultus hilaritas, facilitasq; morum, potius quam tristes seueritas tenenda est siquidem fugat tristis, & immodica grauitas, quos allicere poterat & sanare elementia. Atque hoc postremum erat B. P. Xauerij Consilium in litteris ad P. Gasparem datis.

Admonenda, & inculcanda aliqua.

Cap. XXI.

SEPTIMO, vt certus ex concionum labore fructus existat, hæc etiam adiuuabit industria sub initium Quadragesimæ hortetur auditores, & vrgeat, vt tunc temporis ad confessionem accedant, quo expeditius, & sine peccati conscientia, & magno cum lucro, sacrum illud exigant tempus, ieiunijs, auditioni verbi Dei, alijsq; pijs operibus vacaturi; cum certum sit mortali peccato, meritum, & fructum spiritualem impediri. Post aliquot conciones, die aliquo celebriore cum populus frequentior adest, aperiat, quamnam irritam reddant confessionem, ita vt eam instaurare necesse sit, dilucide tamen id exequatur ne scrupulum vbi non est opus, iniiciat, Moneat si qui non recte confessi sint, vt de integro confiteantur, laudetq; generalis confessionis vsum etiam sine necessaria causa, ijs præsertim, qui id nunquã præstiterunt. Eleemosynas in vsus pauperum serio commendat persuasum habens, quo frigidius, ardentiusue hanc ipse sui muneris partem aget hoc plus minusue populū collaturū. Absit tñ immodica

conten-

contentio; & quaedam quasi uis quae non modo molesta est auditori, sed interdum quamdā ambitionem prodit concionatoris, tanquam ambiat nomen, & eleemosynas pingues, & uberiorēs, quam alij corrogantis. Plurimum igitur caueat ne dum miserorum inopia succurrit, suo se ipse fructu defraudet. Pro concione, bis terue in quadagesima excitandi sunt auditores ad seruandum integrè ieiunandi præceptum, ne animam despondeant, sinantque se gula superari, ut Esau lentis edulio. Persuadeat quoque ut qui non solent per annum qualibet hebdomada communicare, in Quadagesima saltem id præsentent, & experiantur aliquando, quantum ex Sacramentis frequentandis proueniat, in hominum animis emolumentis, & iucunditatis. Constat enim multos antequam experirentur rem existimare difficilem qui post experimentum, vix vlla possunt hebdomada toto ipso anno abstinere, Castiget eorum segnitiam qui annuam confessionem in hebdomadam sanctam rejciunt, quando vix commodè possunt à confessorijs audiri, & saepe sunt invalidae confessiones. Id quidem argumento esse potest de vitæ suæ emendatione eos minimè laborare. Et sanè omnem operam deberet verbi Dei prædicator adhibere, ut probe intelligeret populus vniuersus, quam sit Christiano homine dignum ad sacramenta confessionis, & communionis accedere, octauo quoque die, cum sit confessio ad expurgandum animam à vitijs, tam efficax remedium, Eucharistia verò ad diuinum amorem, omnemque Christianam perfectionem tam salutare præsidium. Si consuetudinem induere hanc poterit, etiam si alium nullum ex suis concionibus fructum ferat, hoc vno præponderari ceteros omnes haud dubitet. Hunc si minus obtineat parum se perfecisse arbitretur. Mox eadem peccata redibunt. Orationis studium cuius tanta in scripturis laus extat, tanta in populis necessitas, iterum, iterumque commendat, quotidianum & frequentem usum eius persuadere conetur, doceatque praxim, & modum. Absoluta priori parte concionis, saepe moneat aliqua ex his, quæ alibi monenda posuimus.

Octauo intelligat pugnandum sibi esse acerrimè contra peccatum mortale, in quod saepe inuehatur; magnamque esse utilitatem existimet si populus ex quadagesimæ concionibus cognoscere possit, quanta sit peccatorum indignitas, ac turpitudine; cum liquido constet illud posse dici de multis, quod S. Iob dolenter ait, Bibunt quasi aquam iniquitatem; atque vtiā

E e e non

Sæpe agat
contra peccatum.

non & illud verè diceretur. Gloriantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Bone Deus, quid agimus nos verbi Dei præcones, si tantam hominum nequitiam non dolemus, non indignamur, non collachrimamur? Si non magno animi ardore viribusque totis collaboramus, ut quisque agnoscat quam horrere debeat, vel ipsum peccati mortiferi nomen dicatque Postquam ostendisti mihi, egi penitentiam, & percussisti femur meum? Quamobrem arbitror hac in re oportere singularem esse concionatoris industriam & zelum, ut hoc penitus in populi animos descendat. Non desunt multæ occasiones ad vtiliter hac de re apteque dicendum; hac de causa supra proposui multos locos, ad excitandum odium peccati, ac penitentiam. Sed præter hæc, quibus vniuersè in peccatum invehitur, si cognouerit in ciuitate esse, qui odia, & inimicitias exercent qui concubinis impliciti sint, qui pecunias forori dent, qui iuramentis, & blasphemijs, qui ludis vetitis sint dediti, qui famæ, aut bonorum alienorum restitutionem negligant, qui contractus illicitos ineant, qui turpes amores foueant, his, & eiusmodi peccatis, ut maxime locus postulat radicibus extirpandis, diligenter animum intendant, eorum turpitudinem ostendendo, ac varijs modis perniciem inculcando, & opportuna, cuique adhibendo remedia. Grauis quidam Concionator, quæ dragesimæ initio, Romanis auditoribus proposuit, se contra statuat, quam ob oculos proposuerat sibi animum esse inueniendi, solebat autem, post cuiusque rei subtiliorem explicationem, antequam conuerteret orationem ad instituendos corruptos hominum mores, hæc aut similia usurpare. Age verò conuertamus sermonem ad nostram statuat, tum in eam verborum suorum iacula contorquentem, & vitia nunc hæc, nunc illa pro loci opportunitate ferientem vidisses. Coniuncta est autem cum peccati insectatione, cura excitandi ad penitentiam, ad lachrymas. Licet autem vituperanda sint, ac detestanda omnia prorsus peccata, nolim tamen orationem nostram omisis grauioribus, in leuioribus crebrius occupari. Quidam per totam ferè quadragesimam, nil magis, & crebrius insectatus est, quam quod nobiles femina longa traherent syrmata, alius, quod crinem super frontem, & caput turrium instar attollerent. Optimum quidem erit huiusmodi etiam luxum insectari. Cæterum si hoc quidem sæpius fiat, grauiora verò scelerum eorumque occasiones dissimulentur, nec frequenter arguantur, laudari non potest: præsertim quod cognitum compertumque;

Hier. 31.

216
1711
1712

peruincque nobis est, mulieres si vnum vanitatis genus omittant, aliud deuo excogitare. Meminerit quoque eorum, que in reprehensionibus seruanda esse supra notauimus.

Præter Conciones ordinarias alia opera pia præstanda. Cap. XXI.

Nono præter matutinas conciones, quæ tota quadragesima quotidie habentur, in plerisque ciuitatibus visu receptum est, vt sexta feria, vel alio hebdomada die, ad excitandam populi pietatem per dimidiatæ hora spatium aut etiam minus de Dominica passione habeantur vespere sermones. Multumque præderit si Sacratissimum Christi corpus per id tempus sit expositum ad adornandum, & pius aliquis concentus ante, & post adhibeatur, qui & inuiter auditores, & moueat. Alicubi libenter postrema diei hora, ter in hebdomada, audito campanæ signo, conueniebat populus in templum ad orationem coram Sanctissimo Sacramento; quibus diebus vna ex confraternitatibus solenni supplicatione vicissim intererat; breuis sermo habebatur, & puncta aliqua recitabantur ad usum meditationis; simulque Sanctorum Litania decantabantur. Pia hæc consuetudo perutilis est, vt non ore solum, & voce, sed animo, & cogitatione populus orare assuescat. Porro consideret conuicator, consulatque Prælatum & alios an expediat instituire, aut renouare aliquam sodalitatem, & confraternitatem earum, quæ pijs operibus vacare solent ad suam, & aliorum utilitatem. Optima esset, si qua hoc nomine institueretur vt sodales frequentius sacramenta susciperent, præscriptis ijs regulis, & legibus, quæ forent loco, ac tempori accommodata. Præterea vbi non esset deberet institui congregatio, ex his quibus cura esset festis diebus, docere pueros, & puellas doctrinam Christianam, cuiusmodi multæ sunt optimis legibus tota Italia constituta. Etiam curandum videtur vt sint qui inopiæ succurrant, familiarum præpudore non mendicantium, & pudicitia puellarum ob egestatem periclitantium, & pueris, ac puellis orphanis per urbem misere vagis, & nocte sub porticibus cum periculo magno iacentibus. Aliqua esset præsertim ex nobilibus excitanda sodalitas ad paces conciliandas, vel certe id muneris alicui iam excitatæ posset adiungi. Opus quod visitandis Nosocomijs, vel carcere detentis, & infirmis adiuuando impenditur inter magna Christianæ professionis opera haberi

Conuentus ad orationem.

Congregatio Doctr. Christianæ.

Qui visitent familias inopum.

Sodalitas ad conciliandos discordias.

Qui visitent hospitalia, & carceres.